Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



SIS

et uniuersis uolatilibus celi ad
duxit eas ad adam ut uideret quid
uocaret eas. Omne enim quod
uocauit adam animae uiuentis ipsum est nomen eius. Appellauit que
adam nominibus suis cuncta iumenta et universa uolatilia celi et
omnes bestias terre. adam uero non inuenebatur similis eius. Immisit
ergo dominus deus soporem in adam
cumque obdormisset tulit unam de
costis eius et replevit carnem pro
eo. Et edificauit dominus deus costam
quam tulerat de adam in mulierem
et adduxit eam ad adam. Dixit que
adam. Hoc nunc os ex ossibus meis
et caro de carne mea. Hec uocabitur
virago quoniam de uiro sumpta est.
Quamobrem relinquet homo patrem
suum et matrem suam et adherebit
uxori suae et erunt duo in carne una.
III Erat autem uterque nudus adam scilicet et uxor eius et non erubescebant
sed et serpens erat callidior cunctis
animantibus terre quae fecerat dominus
deus. Qui dixit ad mulierem. Cur
praecepit uobis deus ut non comedetis
de omni lignu paradisi. Cui respondit
mulier. De fructu lignorum quae sunt
in paradiso uescimur. De fructu uero ligni
quod est in medio paradisi praecepit
nobis deus ne comederemus et ne tangeremus illud ne forte moriamur. Dixit
autem serpens ad mulierem. Nequaquam
morietis. Scit enim deus quod quo
cumque die comederitis ex eo aperientur
oculi uestri et eritis sicut dii scientes bo
num et malum. Vidit igitur mulier
quod bonum esset lignum ad uescendum et pulchrum oculis aspectu que de
lectabile et tulit de fructu illius et co
medit. Deditque uiro suo. Qui come
dit et ceperunt oculi amborum. Cum
que cognouissent se esse nudos consue
runt folia ficus et fecerunt sibi perizo
mata. Et cum audissent uocem domini
dei deambulantis in paradiso ad auram
post meridiem abscondit se adam et
uxor eius a facie domini dei in medio
paradisi ligni. Vocauit que dominus
deus adam et dixit ei. Vbi es. Qui ait
uocem tuam audiui in paradiso
et timui eo quod nudus eram et abscon
di me. Cui dixit de nudo. Quis in-
dicauit tibi quod nudus esses nisi
quod de ligno de quo praecepi tibi ne
comederes comedisti. Dixit que adam
Mulier quam dedisti mihi sociam
dedit mihi de ligno et comedi. Et dixit
dominus deus ad mulierem. Quare
hoc fecisti. Que respondit. Serpens
decepit me et comedi. Et ait dominus
deus ad serpentem. Quia fecisti hoc
maledictus es inter omnia animantia
et bestias terre. Super pectus tuum gra
dieris et terram comedes cunctis diebus
uitae tuae. Inimicitias ponam inter
te et mulierem et semen tuum et semen
illius. Ipsa conteret caput tuum et
tu insidiaberis calcaneo eius. Mulieri
quoque dixit. Multiplicabo erumpnas
tuas et conceptus tuos. In dolore
parues filios tuos et sub uiri potestate
eris et ipse dominabitur tui. Ade uero
dixit. Quia audisti uocem uxoris
tuae et comedisti de ligno ex quo praecepi
tibi ne comederes maledicta terra
in opere tuo. In laboribus tuis come
des eam omnibus diebus uitae tuae spi
nas et tribulos germinabit tibi et co